



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 22. De Collegii Cordubensis rebus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

infestæ domûs parieti affixa est, optimo eventu, nam sub noctem incendium malitiâ lemorum domi excitatum civium diligentia sopitum est. Atque illud indicium fuit, perturbatores genios nusquam posthac auditos, majori igni cessisse. Alter civis eodem remedio lemures ab suâ domo ablegavit.

**C**ORDUBÆ novis ædificiis crevit domus. Sacellum privatis nostrorum usibus destinatum penicillo Belgico in eam elegantiam venit, quæ invidiam faciat Europæis; totum enim quantum est eleganti sacrarum imaginum serie vestitur, nisi quâ columnis basibusque jaspidem aut varia marmora imitantibus, per justa intervalla distinguitur. Columnarum stilobatis subsunt sedilia, opere tornatili: rectum coloribus & auro conspicuum modicè fornicatum operis architectonicis sustentari videtur, artè opticâ oculos fallente. Altaris præcipua laus, cui insidet eminens ex ligno inaurato solium, decenter arcuatum, toreumaticis laboribus in concham apertum. Eâ sede solemoni civium supplicantium coneurso, nec non Episcopo, Ecclesiasticorumque frequentia, apparatu magnifico donata est imago Virginis Immaculæ, peritissimi in Hispania sculptoris opus. Infra Virginis imaginem, in eleganti lypsanoteca, corpus Sancti Epimachi Martyris, huc urbani Octavi liberalitate nuper translatum, asservatur: infraque sacrum corpus opere continuato, loculo affabre facto, includitur Crux imagine Christi mortui nobilitatâ, quâ armatus in ultimo agone certavit Sanctus parens noster Ignatius, quæ Mutii Vitellesci Generalis in hanc Provinciam perpetuum erit monumentum. Altera imago Virginis sine macula Conceptæ, solemoni item pompâ in tyrociniâ sacello collocata est, quæ ita rapuit sodalis parthenii amores, ut coram illa castitatis florem Deo consecravit, quem ne tangerent alii amores constantissimè hæcenus prohibuit.

**I**NTER has pompas Joannis Dias Oceanæ funus elatum est. Is magnâ olim parentum curâ educatus, octennis votum virginitatis, & paulò post Religionis aliquando incedæ, singulari in Indiis exemplo, concepit. Religiosus factus vitam ad Sanctiorum virorum mores conformavit; hæreditariis bonis festum Divorum Ignatii & Xaverii, in numerum Sanctorum nuper relocatorum, opiparè celebrari curavit; templum nostrum holosericeis tapetibus totum quantum est vestivit, & multâ pretiosaque suppellectile instruxit. Hierothecam Sanctissimo Sacramento asservando ex Hispaniâ magno sumptu advehi jussit: Collegium variis largitionibus juvit. In negotiosâ occupationum multitudine tranquillum quietæ cum Deo mentis orium semper habuit. Pauperes & indefensos contra potentiorum vim etiam cum periculo perdendæ æstimationis constanter defendit. Promissam virginitatem totâ vitâ conservavit, utilem virum, maturum cælo immaturè anno ætatis & sæculi hujus quadragesimo-tertio maligna phthisis extulit. Collegii Cordubensis sacri excursores inter res hoc anno gestas narrabant senes abs se repertos, qui à tempore, quo Tucumanorum ditionem Hispani subjugaverant, nulli Sacerdoti delicta sua detexerant, divulgato Sociorum adventu ex antris prodibant, promissâ barbâ, & cæsarie intonsâ spectabiles, cæterâ vermibus scatentes, & tabe pænè confecti; foediotes tamen animarum putredine in malis inveterati, jumenta potiùs, quàm homines: sed homines & jumenta salvabis Domine. Socii, interprete usi, belluini his hominibus antea vitæ pertæsis nostra sacra contulère: quibus magno solatio fuit occurrisse homini centenario, qui octoginta circiter annis inexpectatus, defectu Sacerdotum, vixerat, nullo tamen admisso gravi crimine; nam suâ conjugè contentus, nullius thorum, nullius bona appetiverat, rapueratque; & interrogatus ab uno è Sociis utrum Deum esse novisset? affirmavit. Rursum, utrum Deum aliquâ prece invocaret, respondit, se non alio cultu Deum adorare, quàm junctis manibus, & versùs Cælum protensis, identidem inclamando, Deus! Deus! Deus! nec aliam orandi formulam totâ vitâ aut se scivisse, aut usurpasse: rogatus, ut id quod solebat, faceret, acquievit illicò, & manibus cancellatim junctis, oculisque in Cælum directis, tantâ, ut apparebat, animi teneritudine Dei nomen iteravit, ut Patri lacrymas, sensumque pietatis, expresserit.

**CAPUT**  
XXII.  
De Collegii  
Cordubensis  
rebus.

*Sacellum domesticum.*

*Statua Immaculatae Virginis.*

*Corpus Sancti Epimachi.*

*Crux Sancti Ignatii.*

*Alterâ imago Beatae Virginis Immaculatae.*

**CAPUT**  
XXIII.

De Joannis  
Dias Oceanæ  
vitâ, &  
de missionibus.

*Puer Virginitatem servavit.*

*Liberalitatem excoer.*

*Pauperes defendit.*

*Centenarii hominis innocentiam.*